

IOANNES DANCK SAXO.



Ioannes ille studiorum gratia patriam reliquit,  
atque Parisios profectus est, ut ibi commodius li-  
teris operam dare, atque rerum cognitionem adipi-  
isci posset. Itaque breui tempore uiris doctissimis  
collatus fuit. Erat enim philosophus & Astrono-  
mus inter omnes eius ætatis celeberrimus. Itaque  
Mathematicas disciplinas, à memoria hominum  
penè intermissas, egregiè instaurauit, atque suæ eru-  
ditionis ingentem laudem acquisiuit. Habuit au-  
tem in ea facultate cooperatorem Iohannem de Li-  
gnerijs, uirum egregiè eruditum. Edidit postea Ca-  
nones Ecclipsales, Canones tabularum, librum de  
Astrolabio, unâ cum alijs, eo tempore cum Iohan-  
nes uicesimus secundus papam, & Ludouicus Bauarus Cæfarem ageret, an-  
no post nativitatem Domini millesimo, trecentesimo, & tricesimo.

Trit, in script.